Ob. 6. L. 3905-3908

Ad calumnias & cri-MINATIONES FR. Belcarii depositarii Episcopi Metensis, Ministrorum Metensium breuis responsio.

GENEVÆ,

Apud Franciscum Perrinum.

M. D. LXVI.

Ob. 8 ½ 3906

Candido lectori S.

EDidit ante biennium insulsum quēdam libellum Gallicum Firminus Capitis monachus ordinis Seraphici, quo inter alia doctrinā de Sanctificatione infantiū à nobis ex verbo Dei assertam ceu impiger Romanæ sedis defensor, cessantibus aliis, sibi impugnandam proponit. Huic cum simili scripto Gallico solidè responsum esset à collega nostro Tafino, id ægrè ferens ille, statim aliquot paginas plures prioribus, conuiciis mendaciisque vndique corrasis implet & euomit, nihilque prætermittit, quo se perfrictæ frontis monachū ex cōtinua cuculli perfricatione (vnde sumpta videtur metaphora) testatum faciat: cuius rei vnicum hic tantummodo proferemus testimonium, ex quo de toto libro iudicium fieri

poterit. In administratione S. Cœnæ diuersis nos vti calicibus, diuersóque pane: & calicem quidem argenteum panémque similagineum porrigere nobilibus: poculum verò vitreum panémque cibarium plebeis, pro certo affirmare non dubitat. Lecto libello, detestabilem hominis impudentiam summámque ignorantiam risimus, neque responsione vlla dignam iudicauimus, cùm non occultè in angulo, sed in oculis omnium, & testibus ad minimum sex aut septem hominum millibus Cœna celebretur: cuius actio etiamnum hodie testatur scurrilis sycophantæ loco piis omnibus habendũ esse monachum. Huius vestigia secutus nuper est Franciscus Belcarius Peguilio, imaginarius Metensium Episcopus, qui non tam de docendis Metensibus, quorum paucissimos Latinè nouisse non ignorat, quàm de ostentandis primitiis suo-

rum

rum ſtudiorum ſolicitus, Latinum in nos ſcripſit libellum, à dicaci potius Rhetore, quàm à docto & modeſto Theologo profectum. Præter omnẽ enim noſtram expectationem, ſummam vilis monachi imitatus leuitatem, quam in illo pro Epiſcopi officio reprehẽdere debebat, manifeſtis calumniis cum doctrinam tum perſonas noſtras obruere, & traductas grauiſsimè apud omnium ordinum homines odioſas reddere conatur. Iniquas iſtas criminationes obiter velut ſpongia quadam abſtergere neceſſarium duximus, ne ſilẽtio noſtro veritatis proditæ accerſiri meritò poſſimus, néue infirmiores conſcios nos nobis falſæ alicuius doctrinæ aut criminis ſuſpicẽtur. Porrò quod ſerius prodit hæc noſtra ad ipſius accuſationes apologia, eo factum eſt, quòd exemplar nullũ libri ipſius obtinere hactenus potuimus, cùm pauciſsima

hic habeãtur, ídque à ſolis ferè duobus aut tribus ſacrificulis, & nulla, quod ſciam⁹ proſtiterint, imo necdũ proſtẽt venalia: quod ſanè mirari quis iure poſsit, cùm in vſum Metenſium ſcriptus ſit libellus, & huc imprimis deferri, curare debebat Epiſcopus: quanquã melius huic rei in poſterũ proſpecturum cõfidimus, vbi verſio Gallica quam parat, fuerit edita. Hoc autẽ te, Cãdide lector, admonitũ volumus, nos niſi laceſsitos ac vi pertractos, in arenã hanc nunquã fuiſſe deſcẽſuros: & cùm iuſtiſsima offerretur occaſio acerbius aduerſarium excipiendi, maluiſſe tamen de iure noſtro cedentes, mitius cum ipſo agere, vt toti mundo cõſpicuum fiat, quicquid hoc eſt reſpõſi, iniquiſsimis ipſius calumniis, inuitis quodammodo nobis extortum fuiſſe.

AD CALVMNIAS ET

CRIMINATIONES FR. BELCARII depositarii Episcopi Metensis, Ministrorum Metensium brevis responsio.

CVM CHRISTVS Satanam ab initio homicidam & mendacii patrem fuisse testatur, bifariam perpetuò Ecclesiam suam oppugnaturum significare voluit, vtpote vi aperta, & mendaciis. Vtraque via si vnquam aliâs, nostris certè temporibus id expertus est: sed cùm priore succedere parũ vidit, altera aggressus est, in qua iam consistit, iis præsertim locis vbi tyrãnidi suæ fræna iniecta esse sensit. Videmus enim vt Romanenses stipendiis ipsius militantes, in scriptis & in concionibus suis, nullis iam aliis armis rem agant, quàm continuis calumniis ac meris criminationibus. Inter alios autem qui operam suam hac in parte fideliter illi locaturos spopondisse videntur, surrexit nuper Fr. Belcarius depositarius Episcopus Metẽsis (CVSTODINOS vulgò isti rerum sacrarum nũdinatores appellant) qui nulla à nobis lacessitus iniuria, rudes stu diorum suorum primitias (vt ipse loquitur) virulentis in nos maledictis consecrare voluit. Neque verò si nostras tantummodò personas in odium adducere instituti ipsius esset, respõsione vlla opus esse iudicaremus: sed quũ per latus nostrum sacrosanctã Dei veritatẽ, cuius nos præcones esse voluit, stylo suo confodere nitatur Belcarius, perfidi meritò Christi serui Ioh. 8. 44

censebimur, nisi eam pro virili nostra ab iniquis ipsius calumniis vindicemus: quod solùm præstitisse hoc tempore nobis sufficiet, ne plenam libri sui confutationem à nobis expectet: cùm iam antea à doctissimis viris cumulatissimè responsum sit quibusuis Romanensiũ doctorum argutationibus: tum quòd assidua Ecclesiarum nobis commissarum cura, non patitur meliores horas repetitis ac iteratis responsionibus consumere.

CALVMNIA I.

Ab ipsis concertationis suæ carceribus ad calcem vsque hanc nobis calumniam impigit Rhetor, Asserere nos hæreditaria parentum sanctitate in matrum vteris donari Christianorũ infantulos. Annon vereris Belcari ne reũ falsi te agamus, cùm ne vnum quidem apicem ex scriptis nostrorum producere te posse certò sciamus, quo id commonstres? At dices, Ex nostra doctrina opinionem hanc sequi necessariò, ideóque ab hoc crimine te immunem. Sed quomodo id probabis, quum apertè doceamus, non infundi hanc sanctitatem à paren
Gen. 17. 7 tibus, sed ex fœderis formula recipi ipsorũ liberos, qui natura sunt filii iræ, in Dei gratiam, qua se, liberali sua misericordia Deum ipsorũ esse velle pollicetur, ac proinde à peccatis eluere & sanctificare? Nam cùm sanctorum sint liberi, vult ad eos quoque tãquam ramos, benedictionis suæ gratiam extendere, non infun-
Pag. 5. b dendo illam per parẽtes, vt tu similitudine radicis

dicis & ramorum malè intellecta deceptus es: sed quia propter coniunctionē quæ intercedit liberis cum parentibus, tanquā ramis cum radicibus, gratuita sua misericordia vult hanc illis quoque communicare, adoptando illos propter Christum sibi in filios, imputando illis natiuā ipsius puritatē & innocētiam, & per Spiritum sibi sanctificando, vt parentes fideles hac duplici liberorū coniunctione, vtpote carnis & gratiæ spiritualis, ad maiorem excitarētur erga Deum gratitudinem: sentientes nō se modò per Dei gratiā, sed & charissima sibi pignora è Satanæ mortísque æternæ faucibus erepta. Quò spectant igitur exclamationes illæ tuæ, Pelagianorū esse dogmata, Ex iustis iustos gigni, & ex fidelibus sanctificatos, nisi vt alieno odio nos graues, & inuiso Pelagii nomine sanctā Euangelii doctrinā quā promulgamus, suspectam reddas? Annon perspicuè ex Caluini verbis à te citatis, intellexisses nullā huiusmodi hæreditariā sanctitatē, qualē tu sōnias, à nobis poni, nisi te acerbū in puriorē doctrinā eiúsq; annuntiatores odium trāsuersum raperet? Ita enim ille, Quòd autē cauillantur Pelagiani verisimile non esse à parentibus piis corruptionē ducere liberos, quum magis eorum puritate sanctificari debeant, facile refutatur. Non enim ex eorum regeneratione spirituali descēdunt, sed generatione carnali. Proinde vt ait Augustinus, siue reus infidelis, siue absolutus fidelis, non absolutos vterq; generat, sed reos: quia ex vitiosa natura generat. Porrò quòd

Pag. 7. a

Institit. lib. 2. capite 1. distinct. 7

Lib. contra Pelag. & Cæleſt.

eorum sanctitati quodammodo communicãt, specialis est populi Dei benedictio, quæ non facit quo minus prima illa & vniuersalis gẽtis humanę maledictio præcedat. Ex natura enim, reat⁹: sãctificatio autẽ, ex supernaturali gratia.

Pag.10.a. Sed hîc disertus noster Rhetor, suo more, Caluinũ inconstantiæ insimulat, quòd aliã hic Sanctificationis infantiũ causam doceat, diuersam ab Abrahami fœdere, nimirũ Supernaturalem gratiã. Quasi verò sanctificatio infantiũ in Abrahami fœdere fundata, nõ sit supernaturalis gratia, ac proinde fœderis gratiã his verbis significare voluisse Caluinũ, quiuis etiã cæcus deprehẽdere possit, præsertim cùm addat, Specialẽ esse populi Dei benedictionẽ.

Pag.10.b Verùm vt pugnantibus sententiis inter nos disidere doceat Belcarius, Petrum Martyrem profert, qui Sãctificationem ac salutem infantium nõ à Dei fœdere, vt Caluinus, sed ab æterna Dei electione pendêre ait. Acutissimus Dialecticus non meminit vnius rei plures esse posse causas, sed subordinatas: qua ratione sanctificatos dicimus infãtes quòd in fœdere sint comprehensi: in fœdere autem comprehensos quòd sint electi: ita sanctificationis geminam causam statuimus: primã æternã Dei electionem, subordinatam verò Fœdus ipsius: quod ex suis ipse verbis facilè intelligeret, nisi profundissima tenebrarũ caligine mentem haberet offusam. Ita enim loquitur Belcarius, sed promissionem illius fœderis ad eos fidelium liberos restringit Martyr, in quibus vna Dei æterna

terna consentit Electio.

Eiusdem acuminis Dialectici est, quòd Electionem æternã cum Sanctificatione in vteris matrum confundere ac inconcinnè attexere nos calumniatur, quando ex dilectione Iacobi ante natiuitatem inferimus sanctificationem ab vtero. Quasi verò non apertè constet Dilectionem Sanctificationi à nobis substitui, tanquam effectum suæ causæ. Quamuis enim in conspectu Dei simul & semel omnia sint clara & præsentia, ac proinde Electio, Sanctificatio & Dilectio tempore sint paria & æterna, ordinis tamen respectu, quo causas alias antecedere, alias consequi Deus voluit, Electio sanctificationem in Christo: Sanctificatio dilectionẽ præcedit ac quodammodo ex se parit. Neque enim diligere Deus vllos potest nisi plenè sanctificatos, nõ in sese, sed in Christo, in quo nos sibi gratos habuit. Quapropter cùm in persona Iacobi testatus sit, se diligere suos antequã nati sint: diligere autem non possit, nisi plenè sanctificatos, sequitur quos elegit, ab æterno decreuisse in Christo sanctificare iam inde à primo conceptionis momento, vt plenè sancti sint: sanctificatos deinde diligere: quodq; semel ab æterno decreuit, suo deinde tempore reipsa exequi, cùm nihil frustra facere possit. Pag. 17. 18 Ephe. 1. 6

Quòd autem miratur Belcarius, arcanam hãc sanctificationem solis electis peculiarem, solíque Deo cognitam, ad omnes fideliũ liberos indifferenter nos extendere, nõ mirũ, cùm in meridiana luce cæcutiat. Sed id optima fieri à nobis ratione iudicabunt omnes pii. Nam

cùm vniuersalis sit fœderis diuini formula, id est, cùm in genere omnes fidelium liberos vnà cum parentibus in gratiam se recipere testetur Deus, charitatis iudicium, vt loquuntur Theologi, de omnibus tãquam electis & sanctificatis sentire nos cogit, tantisper dum per ætatem reprobationis suæ signa nulla possunt edere: æternæ interim Dei electioni ius suum integrum relinquentes.

Neque est quod nouo & à nobis nuper cõficto effugio nutanti causæ succurrere nos cauilletur Belcarius, quasi diuersitatẽ aut potius pugnãtiam causarum Sanctificationis hoc pacto tegere conemur: ita enim antè annos aliquot hac de re scripsit Beza, Quod ad eos qui ætate puerili hinc migrant in cælum, faciliore vtitur compẽdio. Etenim cùm in fœdere suo, cuius Christus est mediator, vnà cum fideli complectatur ipsius posteros in mille generationes (quos quoq; sanctificat iam inde à matrum vteris) apparet sanctorum infantulos, si ad Electionem pertineant (quod secreto Dei cõsilio relinquimus) Filio quoq; datos esse, ac proinde non eiici foras.

In Exposit. Tabulæ de Elect.

CALVMNIA II.

Pag. 4. a. b. Impudenter nobis adscribit, docere nos, Quemadmodum ex peccante Adamo hæreditaria labes in totam humanam naturã permeauit, ita ex fideli Abrahamo in totã fideliũ societatem hæreditariã sanctitatẽ permeare. Abrahamũ cũ Adamo in hoc argumẽto, nostrum nemo cõtulit vnquã: sed Christũ Adamo

mo opponimus, ac docendi causa, cum Paulo duos Adamos cõstituimus, quorũ posterior quũ datus nobis sit à Patre, vt vberius in ipso recuperemus quicquid in priore amisimus, primum omniũ per Spiritus suivinculũ nos sibi vnit, & mẽbra sua efficit: ex qua deĩde vnione spirituali cum ipsius corpore, manat ad nos omnium ipsius bonorũ cõmunio, ac proinde natiuæ ipsius sanctitatis & puritatis cõmunicatio, qua fit vt longè potentius iam inde à matrum vteris nos sanctificet, quàm primus Adamus natiua nos potuit labe imbuere, quum Christi gratia Adami corruptionem lõgè superet. Conatur quidem hoc argumentũ labefactare Belcarius, sed ita frigidè, vt intactum relicturus fuisse videatur, nisi vanam hanc gloriolam aucupatus fuisset, nullum à nobis productum argumentũ quod non confutatum ab ipso sordeat.

Ro. 5. 14. 1. Corin. 15. 45

Rom. 5. 15

CALVMNIA III.

Cùm ex loco Pauli, vbi sanctos esse ait fidelium liberos, confirmamus nostram doctrinã, & ratione seu virtute fœderis cum Abrahamo fideliũ parente initi id fieri dicimus, modestus Episcopus, impudẽter nos mentiri, neq; Paulum vnquã hoc dixisse, vel indicásse, vel ex eo colligi vllo modo posse affirmat: sed ideo Sanctos vocari, quod vel à patribus vel à matribus Christianismo imbuebantur, atque ita ex impuris puri, ex prophanis sancti euadebãt. Id vt probet, dicit Paulum eodem sensu vti hoc verbo quũ loquitur de coniugibus, nimirum non

1. Cor. 7. 14

Pag. 13. a.

debere fidelē ab infideli cōiuge ſecedere, quia futurum ſit, vt fortè vxor fidelis maritum infidelem Chriſtianiſmo imbuat, atque ita ex prophano ſanctū reddat: & non ſolùm maritū, ſed etiam liberos. Infœlix Rhetor non videt ſe Pauli ſententiā hoc modo planè inuertere. Neque enim, Sāctificandū eſſe maritū p vxorē, tēpore futuro, ſed Sāctificatū iam inquit Paulus: quo ſignificare voluit, iam conſtante hoc matrimonio impari, ſanctum eſſe maritum infidelem, quia ſanctificetur per vxorem fidelem: id eſt, quia pietas vxoris plus valeat ad hoc vt coniunctio iſta pro ſancta & pura habeatur, quàm mariti infidelitas ad hoc vt coniugium iſtud profanetur, vel vt vxor bona conſcientia vti marito non poſsit. Quale porrò ſit argumentum Epiſcopi videamus: quæſtio eſt, An matrimonium inter infidelē vnam perſonam, alteram verò fidelem contractū, ſit ſanctum, ac proinde fidelis illo teneatur. Reſpondet Epiſcopus teneri, non quia ſanctum ſit matrimonium, ſed quia fieri poſsit vt vxor fidelis Chriſto lucretur maritum & liberos infideles. An putas hoc pacto conſcientiis ſatisfactum Belcari? Hæſitabundæ enim à te quærent, Quid ſi nō detur lucrari? An tu eas ibi inter ſacrum & ſaxum? Paulus igitur lōgè aliter pacem iis adfert, dum aſſerit teneri, quia ſanctū ſit matrimoniū, quod duabus rationibus probat, quas cùm tu non animaduertis, & cum quæſtione ignoranter confundis, ſummam tuam tarditatem prodis. Prius argumentum eſt illud quod

iam

iam posuimus, nimirum, Sãctum esse hoc impar matrimonium, quia maritus infidelis sanctificatus sit per vxorem fidelem, non quidem in sese, sed vxoris respectu: quòd eius pietas plus valeat ad sanctificandum matrimonium quàm mariti impietas ad polluẽdum. Et hunc esse geminũ huius loci sensum sani omnes iudicabunt. Alterum, ductum est ab effectis ad causas, hoc pacto, Sanctum esse hoc impar matrimonium, quia sancti ex eo procreẽtur liberi. Sanctos autem procreari liberos pro cõfesso sumit, quia de promissione constabat, qua singulis fidelibus promisit Deus, Se seminis quoque sui Deum fore. Quapropter quum nõ ob dubiam illam & ancipitem in Christianismo institutionem, sed ratione fœderis sancti sint liberi vel ex altero tantum parente fideli prognati, sequitur iam inde ab vtero sanctificari, quum ab eo tempore fidelium liberi esse incipiant, ad quos gratuitam suam misericordiam extendere vult Deus. Gen. 17.7

CALVMNIA IIII.

Postquã Rhetor Catholicus Romanus calumnias has debacchatus est, & visus sibi est (ita enim loquitur) bases nostrorum argumentorum sinon prostrauisse, ac saltem labefactasse (quod sanè verius dixit quàm putarat: multa enim subinde nobis videntur quæ reuera non sunt) pergit sui similis esse, & tanquã pessimos Baptismi contemptores nos traducit, vt apud omnium ordinum homines odiosos reddat. Cæterum, quum ne vno quidem apice proba- Pag. 19. a

re id posit, quid reliquum est quàm vt iniqui calumniatoris loco piis omnibus habeatur? At ex nostra doctrina sequi necessario huiusmodi contemptum, dum demonstrare vis, teipsum toti mundo deridẽdum propinas. Ita e-
Pag. 19.b nim colligis, Si infantuli in vteris matrum sanctificantur, Baptismo non indigent, cuius proprium est peccatorum sordes eluere. Sed hoc tibi primùm probãdum erat Belcari, Baptismi sacramẽtum simpliciter & propriè eluere sordes nostrorũ peccatorum, aut ipsa tinctione,
Pag. 48.b vt alibi loqueris, peccati innascentis sordibus nos elui. Fatemur quidem sacramentaliter de Baptismo dici posse, elui eo sordes nostrorum peccatorũ, vt postea intelliges: sed propriè loquendo, id verò negamus constantissimè. Hoc enim esset elemento terreno (vt loquuntur Patres) attribuere quod soli Dei misericordiæ & sanguini Christi propriè cõuenit, atque ita detestabilem idololatriam erigere. Vis autem scire quas veras salutis nostræ, id est, reconciliationis cum Deo, remissionis peccatorum, iustitiæ ac vitæ æternæ causas constituamus?
Ephes. 1.3 audi Paulum loquentem, Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cœlis in Christo: Sicut elegit nos in ipso antequã iacerẽtur fundamenta mundi, vt simus sancti & inculpati coram eo per charitatẽ: Qui prædestinauit nos quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese pro beneuolo affectu voluntatis suæ, ad laudem glorioſæ suæ gratiæ,

qua

qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto. Ex quo loco aliisque similibus certò colligimus salutis nostræ ac proinde remissionis peccatorum verissimas causas: nimirū Deum Patrem tanquam primum atque vnicum salutis nostræ fontem saluos nos facere, primùm per Filium suum Iesum Christum mediatorē nostrum, qui gratiam & salutem nobis peperit & acquisiuit, quique iustitiam, sapiētiam, sanctitatem, omnésque cælestes thesauros in se habet reconditos, quos nobis tanquam membris communicet: deinde per Spiritum suum sanctum, qui Christi omniúmque eius beneficiorum participes nos facit.

Sed præter has causas addimus, Spiritum sanctum ad creandam in cordibus nostris fidem, qua sola summa hæc Dei beneficia recipi possunt, instrumentis vti externis, ac naturæ nostræ infirmæ cōueniētibus, vtpote prædicatione ac meditatione Verbi diuini, quo fidem in cordibus nostris accēdit, vt Paulus testatur Fidem esse ex auditu verbi Dei: & Sacramētis, Ro 10.17 quibus accensam semel fidem cōseruat, corroborat ac auget, quemadmodum de Circuncisione Ro. 4. docetur. Nam quēadmodum auribus Verbum percipitur, ita Sacramenta tanquam verbum visibile & sigillum promissionis oculis cernuntur, quibus corda ad credendum cōmoueantur. Ordinaria autem hæc atque visitata salutis nostræ œconomia, nō ita accipiēda est, quasi in externis illis rebus peculiaris aliqua virtus aut operatio insit, aut citra illa

media beneficia sua non possit nobis communicare Deus, instar hominum qui opus suum perficere non possunt absque mediis & instrumentis, idque iis quæ potentiam aliquam naturalem aut proprietatem perficiendi illius operis in se habent, vt herbæ, lapides, cibus ac potus naturalem aliquam potentiam suarum operationum habent. Spiritus enim Sanctus æquè citra media atque per media opus suum exequitur, quum virtutem suam mediis istis non infundat, includat aut alliget. Quòd autē instrumentis huiusmodi nobiscum agit, id eò fit vt imbecillitati nostræ succurrat, quæ rerū cælestium ac spiritualium aliter non est capax. Ex hac causarum salutis nostræ serie facilè colligeret Belcarius, nisi cæcus planè esset, Primò, Verbum & Sacramēta non esse causas primas nostræ salutis, sed intermedias & instrumentales, atque ita, vt nō sit iis astrictus Spiritus sāctus quin liberè per ea aut absque iis operetur in quibus illi visum est, vt variis exemplis doceri potest: primùm eorum qui sub Lege ante octauum diem Circuncisioni assignatū, è vita migrabant: eorū deinde qui in deserto per annos quadraginta absque Circūcisione mortui sunt: Ioannis Baptistæ, Eunuchi, Cornelii, Latronis, Martyrum non baptizatorū, qui absque sacra mētis Circuncisionis & Baptismi sanctificati fuerunt, aut saltem antequam ea accepissent.

Secundò, Sacramenta per se non posse conferre gratiā, cùm in ea virtutem suam non infuderit

fuderit, neque iis alligarit Spiritus sanctus: alioqui oporteret omnes baptizatos remissionem peccatorum obtinere, ac proinde saluos esse, quod vnius Simonis Magi Baptismus falsum esse euincit.

Tertiò, Baptismum non esse primũ salutis limen, vt Belcarius cum suis gregalibus falsò autumat, sed Gratiæ primùm, ac deinde Verbo substitui & subiungi, cui tanquam appendix & sigillum ad maiorem gratiæ in eo promissæ confirmationẽ additur, ideóque superfluũ non esse, non minus quàm sigilla, quæ ad confirmandam promissam & oblatam in literis gratiam adhibentur.

Quartò, Nullis aliis à Deo offerri signa, quàm quibus gratia per Verbum fuerat oblata, ideóque nullis aliis communicanda Sacramenta, quàm quos aut ex propria ipsorum cõfessione, aut ex formula fœderis constabit nobis (pro humanæ cognitionis modulo) iã gratiæ participes esse. Exemplis hæc confirmare difficile non erit: Iam inde ab initio mundi primis nostris parentibus Semen mulieris promittitur: huic promissioni subiungũtur sacrificia (quæ Abelem per fidem obtulisse testatur Apostolus) tanquam sacramenta & externa signa, ad maiorem fidei ipsorum confirmationem. Abrahamo adulto & Isaaco nondum nato primùm promittitur Semẽ benedictum: vtrique deinde Circuncisio mãdatur. Apostolis primùm docere Euãgelium, id est, gratiam promissam & acquisitam per Christum, dein-

Gen. 3. 15.
Heb. 11. 4.
Gen. 12. 3.
Ge. 17. 10.
Matt. 28. 19.

de verò baptizare præcipitur. Quin id apertè confirmat exemplum primitiuæ Ecclesiæ, in qua præter infantes fidelium in fœdere cõprehensos, nulli baptizabantur, nisi prius fuissent Catechumeni, id est, testati fuissent se fide promissam in Christo gratiam amplecti. Et quid multis opus est, cùm passim à Spiritu sancto & Patribus Sacramenta vocentur Signa, Sigilla, Memorialia: signorũ autem externorum & sigillorum nullus sit vsus, nisi ad confirmationẽ præcedentis, promissæ & oblatæ iam gratiæ? Quapropter desine tandẽ obstrepere Belcari, ipsa tinctione elui sordes nostrorum peccatorũ, cùm id sanguinis Christi solius sit proprium: item Baptismum non esse signum promissæ & oblatæ iam gratiæ, superfluúmque fore si iam ex fœdere sanctificati coram Deo sint fidelium liberi, cùm ad maiorem parẽtum confirmationem de collata iam in liberos suos gratia, cõmunicetur: & vt infantuli, discretionis, vt loquuntur, annos attingentes, ad maiorem gratitudinem excitentur, certo per hoc sigillũ in animis suis cõfirmati, se iam tum cum gratiam Dei per ætatem non perciperent, imo boni neque mali quicquã perpetrassent, eius fuisse factos participes.

Gen. 17. 11
Rom. 4. 11
Exo. 12. 14

Pag. 33. b

Sed hic sensũ Scripturæ inuertere nos ac malignè peruertere clamitat Belcarius: Baptismũ enim lauacrũ regenerationis ac renouationis disertè appellari, nõ autẽ obsignationẽ, ac proinde Baptismo verè nos regenerari ac renouari. Ecquis non miretur tantũ Episcopũ tantúmque

tùmque Theologum vſitatam & vulgarem de Sacramentis regulã nondum tenere, qua docet Auguſtinus, Sacramenta propter ſimilitudinem quã habent cum rebus quas ſignificant & confirmant, earũ ſæpenumero nomina accipere? ídque eo fieri, vt ſciamus nõ nudis aut vanis ſignis illudi nobis à Domino, ſed cũ terrenis ſignis ſpiritualem gratiã ſimul offerri ac dari verè credentibus? Hanc loquendi formã quia aliquoties ſequitur Caluinus, cauillatur Belcarius illum modò ſimpliciter remiſsionẽ peccatorum attribuere Baptiſmo, modò eius tantùm obſignationem agnoſcere. Quaſi verò non conſtaret, quoties ſacra Scriptura, Patres & nos hodie vocamus Baptiſmum, Remiſsionem peccatorũ & Lauacrum regenerationis: Cœnæ panẽ, corpus Domini: eius participationẽ, communicationẽ corporis Chriſti, Sacramentalẽ eſſe loquutionem, id eſt, modũ loquendi vſitatum in Sacramentis, quo ſigno rei ſignatæ nomẽ tribuitur, ne nuda ac vana ſigna offerri nobis putemus. Epiſt. 23. ad Bonif.

Cæterùm hic rurſus plauſibilem inſultandi nobis occaſionẽ nactus ſibi videtur Belcarius, cùm nuda ſigna collatæ iam gratiæ in Sacramentis cum Zvvinglio à nobis ſtatui affirmat. In diluẽda putida calũnia, qua nõ nos tantùm, ſed etiam beatæ memoriæ Zvvinglium iniquè grauare conatur, multũ operæ ponendũ non exiſtimamus, cùm millies à noſtris ſit demonſtratũ, non alias aut excellentiores gratias in Sacramentis (vt à monachis hactenus perſua- Pag. 66. a

sus fuit miser mundus) sed easdem planè quæ in Verbo fuerant promissæ & oblatæ, ad maiorem fidei nostræ confirmationẽ, per Sacramenta denuo offerri. Deinde non posse dici statui à nobis nuda signa, cùm fateamur non tantùm oblatam nobis semel gratiã per Verbum, & fide apprehensam, denuo per Sacramenta à Deo Vero & Omnipotente offerri, sed eius etiam augmentationem & incrementũ, quatenus crescente in nobis per Sacramẽta fide, gratiæ quoque incrementa accipimus: ideóque propter æternam ipsius Veritatem & infinitam Potẽtiam necessariò sequi, fidelibus omnibus gratias ipsas per Sacramenta figuratas verè communicari. Neque iam amplius à Belcario suíque similibus signa nuda aut vana poterũt vocari, signa inquã diuina, cum quibus non tantùm peccatorũ remissio, regeneratio, cõmunicatio corporis & sanguinis Christi, omnes denique thesauri cælestes, sed eorũ etiã augmentatio à Deo Vero & Omnipotente nobis offertur, quin in æternã Dei Veritatem & Potentiã sint blasphemi. Hoc interim ad superiora addimus, Gratias & thesauros istos quod ad Deũ attinet, ita perpetuò comitari Sacramenta, vt eorũ verè fiamus participes, modò eos fide apprehendamus: qua deficiente, nuda signa impœnitẽtibus relinqui: quia cum spritualis gratia vnà cũ signo terreno à Deo perpetuò illis offeratur, atque illi vasculo proprio ad excipiendam hanc gratiã, vtpote fide destituantur, nihil præter signa accipiunt. Sed

hoc

hoc fallit Belcarium, quod localem concomitantiam seu inclusionē gratiæ spiritualis cum signo terreno sibi imaginatur, vt qui signū externum accipit, idē quoque simul grātiā spiritualē accipiat, vtcūque nulla sit fide præditus.

CALVMNIA V.

Cauillatur ne minimis quidem Dialecticæ rudimentis initiatos, pudenda ignorantia, in eodem subiecto constituere nos contraria & pugnantia, peccatum originale & gratiam, puritatem & impuritatem. Magnus Dialecticus & summus Rhetor obliuione lapsus, non meminit definitionis Oppositorum, quam ei in memoriam reuocare operæpretium est, vt ab Aristotele ponitur, Opposita nimirū esse quæ de eodem, secundum idem, & ad idem, & eodē modo, & eodē tēpore dici & affirmari non possunt. Nisi talpa cæcior es Belcari, facilè intelligis contradictionē hic nullā esse, quū non eodē modo purum & impurū, in peccatis cōceptum, & à conceptione sanctum esse dicamus. Aliter enim in peccatis conceptum, nimirum quoad naturam & carnalē generationem, qua omnes nascimur filii iræ: aliter à cōceptione sanctum, nimirum quoad gratiam & natiuam Christi sanctitatē imputatam, eundē hominē fatemur & agnoscimus. Qua ratione Christus eundē hominē quem spiritu pauperem esse dixerat, summè diuitē affirmat, vtpote cuius sit regnum cælorū: pauperem quidem quatenus grauissimam peccatorum suorū molem sentiens, & extremam gratiarum spiri-

Pag.22.a.

Elench.1. p.4.

Matt.5.3.

tualium inopiam agnoscens verè coram Deo in corde suo deiicitur: diuitem verò, quatenus Christū cum omnibus suis thesauris fide apprehendens, in certissimam spem erigitur vitæ æternæ: itaque eundem hominē simul esse paupere & diuitem spiritu intelligimus, sed diuerso modo. Si quoad naturā purum simul & impurū esse diceremus, aut ex aduerso quoad gratiā, meritò nos reprehenderes stupiditatis: sed cùm aliorū vis esse seuerus Aristarchus, ignorātiæ tuæ primitias summo cū probro, toti mundo conspiciendas proposuisti. Qui fit vt cum meros crepes Doctores tum veteres tum neotericos Caluinianos (quod grauiter nos verere autumas, sed falsò) non legeris vulgare illud ex Augustino, Remitti peccatum in Baptismo, non vt non sit, sed vt non imputetur: & alterum illud, Peccatum quantum ad sanctos pertinet, regnum amittere in terra, sed perire in cælo? Qua ratione Paulus hortatur fideles, non vt non habitet in ipsorum corpore peccatum, sed vt nō regnet. Idem enim alibi fatetur peccatum in se habitare: eundem tamen Paulum non negabit, opinor, Belcarius, sanctum fuisse. Sed hic, quod in explicatione huius loci à sententia Patrum quorundam deflectamus, insurgit in nos Belcarius, & quasi indignū facinus à nobis cōmissum esset, Rhetoricas, Ciceronianas & stomachi plenas euomit exclamationes, & tāquā in profligatæ malitiæ homines excādescēs, intolerabiles iudicat. Bona verba D. Reuerēde. Eia sine nos viuere: & si quo tem-

Lib. 1. de nuptiis & cōcupiscentia cap. 25.

Serm. 6. de Verb. Apost.

Rom. 6. 12

Ro. 7. 20.

Pag. 25. a. b.

tempore hæc scripsisti, eadē adhuc te prosequitur cholera, sumptis aliquot colocynthidis vnciis, hanc quæsumus euacues. Atqui omissis aliis quæ adhuc afferri possent, cùm inuictū stet hoc argumentum, In hominem non regeneratum luctam carnis & spiritus qualem eo loco in sua persona describit Paulus, cadere non posse, nulla nobis religio est Belcari, ab ipsorū sententia discedere, præsertim cùm suffragatorē hac in parte habeamus Augustinum, & Patres ipsi nō aliter sibi credi postulent, quàm quatenus cū verbo Dei conformia docēt: atq; ita de Paulo primùm, deinde de omnibus regeneratis locum hūc intelligimus, & in omnibus sanctis luctam hanc vigere agnoscimus. Quid multis? Experientia ipsa optima magistra, constrictum & conuictū tenet hac in parte vnumquenque nostrum, ita nos per fidem purificatos & sanctificatos, vt interim sub onere peccatorum nostrorum coram Domino ingemiscendum nobis sit indesinenter, & supplices ad ipsius genua procumbentes, continua hac oratione vti oporteat, Remitte nobis debita nostra: vt meritò insanus habeatur qui id negare audeat. Videtur quidem concedere Belcarius, eosdē homines sanctos simul esse posse & impuros, modò leuioribus tātùm peccatis impliciti teneantur, non autē peccato originali, eiúsque vitiosis fructibus. Sed quo iure magistralem hanc authoritatem assecutus est, talem peccatorum distinctionem constituēdi, cùm Scriptura apertè loquatur, Ani-

Act. 15. 9.

Pag. 19. b

Ezech.18 20. Ro. 6.32. ma quæ peccauerit, ipsa morietur: &, Stipendium peccati mors. Vanam autem esse hanc distinctionem inde apparet, quod Galatas & Corinthios, etiamsi non leuibus sed grauissimis peccatis impliciti essent, Sanctos tamen vocet Paulus.

Pag.27.a b. Quæ de concupiscentia & iustitia imputata hîc miscet Rhetor, indigna sunt confutatione, præsertim cùm cauillationibus omnibus Romanensium abundè à doctissimis viris respõsum sit, & quæ profert Belcarius non tantùm à sensu communi & bonorum omnium iudicio sunt aliena, sed etiam ex diametro pugnãtia cum verbo Dei. Quis sani iudicii homo negauit vnquam, manere in homine regenerato mali fomitem, vnde perpetuò scateant cupiditates, quæ ipsum ad peccandum illiciant & extimulent? Peccati fomitem hunc prurientem in nobis, siue accedat consensus siue non, quis nõ malum esse dixerit, cùm mali sit causa? An potest arbor putridos fructus edere, & ipsa esse non putris? Annon propter quod vnumquodque tale & illud magis tale, vt id quoque ad nostrum negotium applicemus?

Pag.32.33 De iustitia autem imputata, qua fronte audet effutire Rhetor, peccatum tolli realiter, & iustitiam essentialem eius loco succedere, cùm disertis verbis contrarium doceat Scriptura? Quid enim illa de Abrahamo fidelium omniũ parente (in quo velut in speculo qua ratione fideles omnes coram Deo iustificentur, conGen.15. 6 Rom.4.3 spici potest) testatur? Credidit Abraham Deo,

&

& imputatũ est illi ad iustitiam. Non dicit in Abrahamo peccatum omne realiter ablatum esse, & iustitiam essentialem eius loco successisse, sed fidem Abrahamo ad iustitiam imputatam esse: hoc est, Deum habuisse ipsum pro iusto propter fidem qua Mediatorem Christum & vidit & apprehendit, vt Christus ipse loquitur. Quid Dauid verè iustificatus, annon peccatorum remissionem millies petit, & imprimis, Psalmo trigesimo secundo, Beatitudinem ac iustificationem in hac remissione constituit? Quid potest clarius adferri his verbis Pauli, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata: & alio loco, Non est autem scriptum propter ipsum tantùm, sed propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis. Sed hoc summopere torquet Rhetorem, quod hac imputatione iustitiæ & sanctitatis nulla fiat realis immutatio, atque ita nullum sit futurum discrimen inter magis pios & minus, sed ex æquo omnes iusti erunt, quum stellæ aliæ ab aliis claritate differant. Quasi verò præter hoc primum & præcipuum Christi beneficium non agnoscat ipse alterum etiam à nobis cõstitui, quod à Christo quoque nobis præstari dicimus, nimirum regenerationem & innouationem qua indies veterem hominem exuimus, & vitam nouam inchoamus, & ad imaginem Dei instauramur. Cæterùm hæc duo non confundimus, & Regenera-

Io. 8. 56.

2. Cor. 5 19.

Rom. 4. 23.

Pag. 32. a.

tionem constituimus habentem quotidie suos progressus & incrementa, non autem perfectã in hoc mundo, & numeris suis absolutam, vt turpiter hallucinatur Belcarius.

Quòd præter duos locos, vtpote Cælum & Infernum in Scriptura notatos; tertium aut etiã plures admitti vult Belcarius, vtpote Pur-
Pag. 37. a gatorium & Lymbum, adeo est feriale, vt pueris refutandum relinquamus. Ad argutam tamen ipsius quæstionem, qua constrictos nos teneri putat, paucis respondendum est. Quærit igitur, vbi sinum Abrahami collocemus: vbi subsistisse putemus animas sanctorũ quorum resuscitata fuerunt corpora ab Elizæo, Christo & Apostolis: in altero enim locorum istorum collocari non posse putat. Etenim si in inferno fuerunt, cùm nulla inde sit redemptio, excedere eo loco non potuerunt: si in cælo, vera beatorum sede, deserere hanc voluisse verisimile non est, vt in hunc mundum plenũ miseriis redirent. De sinu Abrahami, quia lõga est disceptatio, nihil hîc dicemus: ad eos remittimus Belcarium, qui amplissimè hac de re nostris tẽporib⁹ scripserũt. Quod ad Sanctorũ animas, quia mentionẽ duorũ tantũmodo locorũ facit Scriptura, sacrilega temeritate tertiũ nobis fingere nõ permittimus, ideóq; in cælo fuisse non dubitamus. Si obiicias, Non deserturas fuisse tam beatam sedem: respondemus, Primò, corpus & animam ita in Domini manu & potestate esse, vt pro voluntate sua iis vtatur ad gloriam sui nominis, & in obsequium

suum

ſuum flectat, vt quocunque loco ſint, morem illi gerere cogantur. Deinde quemadmodum nos hîc gloriæ Dei adeò cupidos, imò totos eius ſtudio flagrare oportet, vt nihil ſit tam diuturnum, nihil tam moleſtum, nihil tam graue quod non æquis animis ſubire ac ferre parati ſimus, modò per nos hoc pacto gloria Dei promoueatur: ita non dubium beatiſsimas animas, gloriæ Dei cupidiſsimas, cùm per ſuã reſurrectionem Dei Chriſtíque gloriam non vulgariter hîc in terra promoueri poſſe ſentirent, paratiſsimas fuiſſe ad obſequium Domimini ſui, lubentéſque in ſe recepiſſe breui temporis ſpatio carere hac gloria, & ad priſtinum corporis ergaſtulum redire, dum opere ſuo per illos confecto, in gloriam ſuam Deus ad ſe rurſus euocaret.

Ab imo Purgatorio ad ſupremam Prędeſtinationem trãſcendit profundus ſimul ac ſublimis Theologus, & Caluinum ac Bezam falſò aſſerere ait, Nihil fieri fortuitò, ſed vniuerſa ex Dei voluntate & decreto. Quaſi verò nõ falſi potius teneatur ipſe, quũ manifeſtis Scripturæ locis conuincatur, res etiam noſtro iudicio maximè fortuitas, non tamen fortuitò accidere, ſed ex Dei decreto & voluntate. Ridiculũ quidem putat Belcarius, Dei decretũ in reb⁹ politicis ac ludicris intercedere, ſed nobis non licet eſſe tam liberis, quibus Verbum Dei pro certa fidei vitæq; regula eſſe debet. Docet autem in Deo nos eſſe, moueri & viuere. Defractum ex arbore ramum non temerè viato-

Pag 46. b.

Act. 17. 28

Exo. 21. 13

rem interficere, sed Dominum esse qui interfectum tradiderit in manum occisoris. Sortes ab ipso dirigi & gubernari: Capillos capitis non perire absque ipsius decreto: Passerculos quoque in terram non decidere sine Patris voluntate. Sed quia ex Caluino hæc excerpsisse nos tuo more cauillaberis, præstat te ad illum remitti, Belcari, & puro oculo incorruptóque iudicio diligenter euoluere quæ fusissimè in suis Institutionibus (quas tu, cæco abreptus odio, Christianas ab illo vocari culpas, quum epitheton hoc religioni tribuat) hac de re tractat.

Pro. 16.33
Matth. 10
30, & 29.

Quia verò Bezam frigidis rationibus niti ais, vt non omnia tantùm, sed & singula ex Dei decreto euenire confirmet, quàm putida sit tua calumnia, ex dilemmate ipsius indissolubili toti mundo palam facere conuenit. Ita enim ille alibi, Quicquid fit, aut fit Deo otioso & conniuente, aut Deo volente, aut Deo inuito. Hanc diuisionem dico esse plenissimam. Nam inter duo extrema colloquo medium. Si Deo volente fieri omnia dicunt, hoc est quod dicimus, & nobiscum faciunt: ita tamen vt Deus nunquam sit author peccati. Si Deo inuito, non est Deus omnipotens: hoc est detrahere Deum de solio suo. Nam si Deus non vult aliquid fieri, quod repugnante tamen & inuito eo fiat, certè non est omnipotens, ac proinde Deus non est. Sin verò dicamus, Deo otioso & conniuente & speculante, aut duntaxat exitũ dirigente, ac non gubernante totã actio-

Lect. super 28 cap. Act.

ctionem aliquid fieri, iam Epicurei sumus.

A diuina Prædestinatione, tanquam subita aliqua metamorphosi ad diabolicos Exorcismos delabitur Episcopus: quos vt nobis persuadere conetur, magno Patrum strepitu prodit in mediũ, qui sola sua authoritate & splendore nos opprimant. Sed pluris est nobis Verbum Dei quàm omnes homines, vtcũque sint pietatis sanctitatisq; nomine laudati ac celebres. Nam cùm ex Verbo Dei manifesto dicerimus, & iam antea docuerimus, baptismum nullis cõmunicari debere quàm quos aut ex propria cõfessione, aut ex formula fœderis constabit nobis (quantum quidem humano iudicio cognoscere possumus) gratiæ iam esse participes, sequitur huiusmodi Exorcismos, quantumuis ab Angelo profecti essent, detestabile commentum esse, quando iis gratia Dei sepelitur, quasi adhuc sub Satanæ iugum detinerentur, quos Deus sibi in filios adoptauit. Pag. 49. a

Iam confutandis iis quæ de baptismo mulierum profert Belcarius, non anxiè laborandum nobis est, quia ex præcedenti doctrina sponte corruit quicquid ex Patribus aut ex suo cerebro contexuit. Inconcussa enim, nullisque arietibus diuicienda stat hæc basis, Salutem fidelium atque seminis ipsorum non à Baptismo aut vlla alia re externa pendêre, sed à gratuita Dei misericordia per Christũ promissa, ideóque nullam subesse posse tãtam necessitatem, qua diuina Baptismi institutio ex Pag. 51. a.

hominũ iudicio mutetur ac inuertatur. Christus quos ad Euangelicæ doctrinæ promulgationem vocauit Apostolos, eosdem constituit Baptismi administros, nec alios: idque optimis de causis. Etenim sicut ad Verbi prædicationem, cùm sit diuinæ voluntatis promulgatio, nisi quis legitimè vocatus accesserit, tanquam temerarius & sui confidentia turgidus meritò explodetur: ita ad Sacramentorum administrationem nõ minus opus est legitima vocatione, cùm sint eiusdem voluntatis, diuina quædam obsignatio. Deinde cùm Sacramentorũ anima sit Verbum Dei, id est, iusta promissionum gratiæ & institutionis Sacramentorum declaratio & annuntiatio (non autem magicus trium aut quatuor verborũ afflatus & pronuntiatio, vt vos insulsè existimatis) citra quam in Sacramentis præter mortuam & ludicram actionem nihil relinquatur. Ea autẽ solis Verbi ministris legitimè vocatis, cõmissa sit, sequitur à nullis aliis Baptismum posse administrari, nisi ludicram & mortuam actionẽ esse velimus. Hæc cùm inuiolabili nexu Deus copulauerit, sacrilegæ audaciæ ac temeritatis est, fingere necessitates ad euertendã Dei ordinationẽ: quod tu Belcari, cum tuis gregalibus facis, dum obstetricibus ac priuatis hominibus in ficto casu necessitatis Baptismum administrare permittitis. Sed eò tu magis ridiculus quàm reliqui, quod per ludibriũ administratũ Baptismum à puero aut ab histrione, pro legitimo approbas, idque quia magnos Patres,

tres, vt tu inquis, authores & approbatores habet, à quibus vel tantillum discedere, aut eorũ factum dictúmue vllum improbare, summa tibi religio est. Vbi autem alterũ ex his duobus quæ ad legitimã Baptismi administrationem necessariò requiruntur? vbi inquam legitimus Minister, aut iusta Verbi annũtiatio? Cum desint, sequitur nullũ ibi esse Baptismum. Quapropter vanus est triumphus ille tuus de literis Bezæ Tafiníque nostri interceptis, & repetito Montoii gemellorum baptismo: si tamen vera sunt quæ profers. Quomodo enim respõdere potuit Beza, & eius responsum intercipi, si Tafini literæ à vobis interceptæ ad eum non peruenerint, nisi fortè tanquam falsarii retento autographo, alias eiusdẽ argumenti supposueritis ac miseritis: aut quomodo Tafini literæ intercipi potuerunt, si ad Bezã peruenerint, ísque iis responderit, nisi fortè ipsius chartæ à vobis direptæ fuerint? Totum autem id quicquid est, suspectum nobis planè reddit quod subiungis, Alia in iis literis cõtineri quæ postea fuerint magnarum turbarum seminaria: id enim si ita esset, nõ sanè reticuisses, quin cupidè potius promulgasses, ad conflandam nobis tam apud Regem quàm ipsius administros inuidiam. Quanquam vt ad rem redeamus, non vides vos eius facti maximè reos, quod in nobis damnatis. Quot enim infantuli non tantum in Galliis, sed in hac quoque vrbe superioribus hisce tumultibus à vestris rebaptizati fuerunt?

Quod obiicis, Denuo nos baptizandos fore hac ratione, friuolũ est. Baptizati enim sumus in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, non autem alicuius creaturæ. Deinde baptizati sumus nõ à priuatis, sed ab iis qui quãuis legitimi Ministri non essent, locum tamen tenebant verorum Ministrorũ. Tertiò, cùm in tanta cõfusione etiam à mulieribus administratus fuerit Baptismus, dicimus non tãtùm errori dandam esse veniam, sed etiam ferendum qualemcunque baptismum. Nam in Ecclesiæ disipatione multa Deus condonat, quæ nullo modo admittere fas esset in Ecclesiã benè ordinatã. Olim cùm vitiata esset religio, hauddubiè multis vitiis & corruptelis implicita Circuncisio fuit: quam tamen iteratam fuisse non legimus, cùm reuocaretur populus ad purum cultum. Ita quod Deus sub Papatu ignouit, nos quoque sepelire conuenit.

Quod autẽ tã turpiter impingit Belcarius, vt à mulieribus, pueris aut histrionibus potius administrandum putet Baptismum, quàm vt homines eo priuati migrent ex hac vita, hinc fit, quod peruersa opinione Baptismo alligatam esse gratiam, neque saluos aut sanctos esse posse infantulos citra eius cõmunicationem opinatur: cuius opinionis nunquam fuisset, si
Pa.59.a.b fœdus gratiæ rectè semel intellexisset. Fatetur quidem quoad maiores natu, nõ ita alligatam esse gratiam externo elemento, quin si maiore aliqua necessitate prohibeãtur à Baptismo, fides aut martyriũ illis sit loco Baptismi. Quid autem

autem prohibet quominus fœdus gratiæ id sit infantulis, quod fidem ac martyrium esse concedis natu maioribus? Quin tanquam præsentissimũ remedium illud quibusuis necessitatibus opponis, in eóque ita acquiescis, vt nullis rationibus ad violandam sacrosanctam Baptismi institutionem adduci te patiaris?

Quæ de sacra Domini Cœna sub finẽ rhetorici sui libelli inserit Belcarius, quia infinitis propè nostrorum scriptis à multis annis confutata iacẽt, tædiosa repetitione non est opus, præsertim cùm in quarta calũnia abundè quoque ad ea quæ allegat responsum sit.

CALVMNIA VI.

Iniquis hisce criminationibus non contentus Rhetoricus Theologus, perorationẽ præcedẽtibus argumentis conformẽ esse voluit, id est calumniis plenam, exemplum secutus Tertulli Rhetoris, qui ab adulatione Præsidis incipiens, in mendacia & calumnias fidelis Christi serui desinit. Postquam doctrinam nostram falsis criminationibus grauare conatus est, idem in personas experitur. Lutheri & Caluini doctrinam falsam esse, hac ratione probare vult Belcarius, quòd ipsimet in suis scriptis & concionibus clamitent perditæ vitæ homines esse suos asseclas, imò Turcis ipsis peiores. Falsi testimonii reus tenetur nõ solùm qui falsum dixerit, sed etiã qui quod rectè dictũ fuerat in alienũ ac prauũ sensũ detorquet. Vociferantur Lutherus & Caluinus tanquam strenui

Act. 24.

Pag. 73. a.

Christi ministri, & acres vitiorũ impugnatores, in scelera & flagitia quibus impliciti tenebantur nonnulli qui in Ecclesia versabantur, eiúsque mẽbra videri volebant cùm essent hypocritæ, quales perpetuò futuros in Ecclesia, Christus & Apostoli non semel testati sunt. Versutus Rhetor vt totã doctrinam odiosam reddat ac falsam esse probet, ad totum Ecclesiæ corpus extẽdit quod de certis quibusdam existentibus in Ecclesia dictum fuerat: vnde iudicare licet qua fide in scriptis nostrorũ versetur. Neque verò id nouo exẽplo faciunt nostri. Ante aliquot enĩ secula idẽ factitasse Prophetas, sacra ipsorum scripta testãtur, cùm clamãt Iudam iustificasse sorores suas Samariam & Sodomam. Principes Iuda, Principes esse Sodomæ: & populum Dei, populum Gomorrhæ. An hoc nomine totam doctrinã vnà cum sacrificiis vt falsam repudiabit Episcopus? In Caluinum autem imprimis (cui saltẽ mortuo parcere debebat) vehementer excandescit, quẽ tanquam cõtumelioſum, ab omni humanitate alienum, iactabundum & suis intolerabilem traducit: sed & feroci ingenio & ad maledicẽdũ procliui, & petulãti scurræ similẽ facit. Verùm si cònuitiis agenda res esset, an nescis longè verius incestus, adulteria, stupra, simonias, sacrilegia, ingurgitationes, inexplebilem auaritiam, vt alia enormia vitia taceamus, vestri ordinis hominibus posse nos exprobrare? Bezã quoq; cum suis symmystis, Sacramentarios & Gallicæ trãquillitatis perturbatores vocas: sed

Ezech. 16 51. Isa. 1. 10.

quo

quo iure? cùm in Galliam nõ venerit Beza, nisi à Rege vocatus. Ac ne vllos prætermisisse videretur Rhetor, quos non conuitiis & maledictis suis lacesseret, nos quoque impetit, & aut ignotos, aut vitę sordibus infames, aut insignis alicuius facinoris ergò patria extorres calumniatur. Hæc quia palam falsa esse satis constat, summam vanitatem futiliáque mendacia dissimulanda & ignoscenda duximus. Addit præterea, Sacrarũ literarũ rudes, Dialectices ignaros, vix vnam aut alterã Latinam, Græcam autem ne vllam quidem syllabam nouisse. Non sumus adeo cæci quin eò hæc spectare intelligamus, vt & magnus Theologus, & acutus Dialecticus, & disertus Rhetor, & summus Ciceronianus, & excellẽs Græcus, & Græca non nisi loco intermiscẽs iuxta præceptum Erasmi in Copia, ab omnibus habearis: sed quî potes huiusmodi de nobis iudicium ferre, cùm nunquam nos audieris, ac ne vnquam de doctrina nobiscum cõferre volueris, imò spes ferè nulla nobis reliqua sit, posse nos in posterum aut tecũ, aut cum vllo aliquo vestri ordinis de doctrina cõferre, cùm à nobis prouocati per magni nominis viros & præclaros ciues, nihil aliud à vobis referre possimus, quàm Cum hæreticis non esse disputandum: quasi verò non dicat Apostolus, Episcopos debere esse potentes ad exhortandum per doctrinam sanam, & conuincendum contradicentes: & Hæreticum hominem (quales nos iudicatis) non nisi post vnam aut alterã admonitionem reiicien- Tit. 1. 9, & 3. 10.

dum. Sed ideo forte ignaros Latinæ aut Græcæ linguæ nos putas, quia de vestro more non solemus in cõcionibus cum vernaculo sermone miscere Latina aut Græca. Atqui si placet experiri quid possimus, parati sumus tecum conferre de controuersis religionis nostræ capitibus, adhibitis Latinis, Græcis & Hebraicis exemplaribus.

Cæterùm hoc maximè vrget Episcopus, quod & antiquos & nostri temporis Episcopos magno supercilio præ nobis fastidiamus, conuitiis laceremus, & tanquam rudes despiciamus. Quod ad veteres Episcopos attinet, malignè & peruersè à nobis fastidiri, lacerari ac despici ais. Præclara enim Dei dona in ipsos collata veneramur & amplectimur, ita tamen vt cum Prophetis & Apostolis ipsorũ scripta non æquemus, sed eo loco habeamus, quo illi haberi à nobis voluerunt: qua de re extat insignis apud Augustinum sententia, Neque enim quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum & laudatorum hominũ, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat salua honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atq; respuere, si forte inuenerimus quod aliter senserint quàm Veritas habet, diuino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse lectores meorum.

Epist. 198 ad Fortunatianũ.

De te autẽ tibique similibus Episcopis, quereris Belcari vos contumeliosis vocibus à nobis

bis notari. Fatemur quoties nos textus cogit occasio, liberè pro officii nostri ratione varias vestri ordinis ac præsertim doctrinæ corruptelas reprehendere, adhibita interim Christiana quantum fieri potest moderatione. Huiusmodi autem reprehensiones, Conuitia & contumelias nũcupari posse negamus. Testari enim sanctè coram Domino, cordium illo scrutatore possumus, cæco & impotenti personarum odio nos ad eas habendas non moueri: neque aliud in tui ordinis hominibus odisse quàm mẽdacia, calumnias, crudelitatem, apertarum idolomaniarum defensionem, aliáque eius generis vitia, in quæ stomachum conuertere debueratis potius quàm in nos, qui Deũ Patrem votis ardentissimis obtestamur, vt eos omnes qui humana infirmitate labuntur, & cum Saulo Ecclesias deuastante ignoranter peccant, ad nominis sui gloriam in viam meliorem clemẽter reducat. Si moderatæ huiusmodi reprehẽsiones ingratæ vobis sunt, cur non efficitis ne multo grauiores in vobis locũ habeant? Quapropter omissis aliis, te imprimis rogamus Belcari, vt resipiscas, ac Filio Dei (quem hoc tuo scripto, quo æternam ipsius veritatem reclamante cõscientia, hostiliter impugnas, grauissimè offendisti) supplex factus, culpam agnoscas, & veniam depreceris, ne subito ipsius furore correptus, in gehennam miser ruas inextinguibilem.

FINIS.

BIBLIOTEKA JAGIELLOŃSKA
08.6.4.3906